

University of Groningen

## Ad Iuvenci Evangeliorum

Kievits, Herman Hendrik

**IMPORTANT NOTE: You are advised to consult the publisher's version (publisher's PDF) if you wish to cite from it. Please check the document version below.**

*Document Version*

Publisher's PDF, also known as Version of record

*Publication date:*

1940

[Link to publication in University of Groningen/UMCG research database](#)

*Citation for published version (APA):*

Kievits, H. H. (1940). *Ad Iuvenci Evangeliorum: librum primum commentarius exegeticus*. s.n.

### Copyright

Other than for strictly personal use, it is not permitted to download or to forward/distribute the text or part of it without the consent of the author(s) and/or copyright holder(s), unless the work is under an open content license (like Creative Commons).

The publication may also be distributed here under the terms of Article 25fa of the Dutch Copyright Act, indicated by the "Taverne" license. More information can be found on the University of Groningen website: <https://www.rug.nl/library/open-access/self-archiving-pure/taverne-amendment>.

### Take-down policy

If you believe that this document breaches copyright please contact us providing details, and we will remove access to the work immediately and investigate your claim.

Downloaded from the University of Groningen/UMCG research database (Pure): <http://www.rug.nl/research/portal>. For technical reasons the number of authors shown on this cover page is limited to 10 maximum.

## PRAEFATIO.

De Gaio Vettio Aquilino Iuvenco pauca admodum scimus. Natus fuit in Hispania, sed nescimus in qua regionis parte. Secundum adnotationes nullo fundamento innitentes <sup>1)</sup> patria eius fuit Vettoniae urbs Caesarobriga (= Talavera de la Reina), in dextra Tagi ripa sita, sed ea fama ex similitudine nominum Vettius et Vettonia orta esse videtur. Dicitur inde Salmanticam (= Salamanca) petiisse eiusque urbis episcopus fuisse. Quae autem merae fabulae esse videntur. Constant tantum ea, quae Hieronymus de eo tradidit. Scribit enim is, De viris illustribus LXXXIV: *Iuencus, nobilissimi generis* <sup>2)</sup> *Hispanus, quattuor evangelia hexametris versibus paene ad verbum transferens quattuor libros composuit et nonnulla eodem metro ad sacramentorum ordinem pertinentia. Floruit sub Constantino principe.*

In Chronico ad annum Olymp. 278, Christi 329/330, adnotat: *Iuencus presbyter, natione Hispanus, evangelia heroicis versibus explicat* <sup>3)</sup>.

Hieronymus Iuencum praeterea memorat in epistula ad Magnum 70 § 5, I p. 428 (ed. Vallarsi): *Iuencus presbyter sub Constantino historiam Domini Salvatoris versibus explicavit, nec pertimuit evangelii maiestatem sub metri leges mittere. Denique in commentariis in Matth. I 2, 11 haec de poeta dicit: Pulcherrime munerum sacramenta Iuencus presbyter uno versiculo comprehendit: Tus aurum myrrham, regique hominique Deoque | dona ferunt.*

Quidquid posteriores, inter quos memorem Gregorium Turonensem, Alcuinum, Honorium Augustodunensem, Iohan-

<sup>1)</sup> cf. Arevalus in Prolegg., Migne, P. L. XIX col. 22.

<sup>2)</sup> cf. Rohde—Dessau, Prosopographia Imperii Romani III p. 410: 321. C. Vettius Aquilinus, clarissimus vir, patronus ordinis sacerdotum domus Augustae (temporibus Commodi).

<sup>3)</sup> cf. A. Schoene, Eusebii Chronic. Can. quae supersunt II p. 192.

nem Trithemium <sup>1)</sup>, de Iuenco scripserunt, illis Hieronymi locis nititur.

E codicibus <sup>2)</sup> apparet nomen eius fuisse Gaium Vettium Aquilinum Iuencum. Plerumque nomen Iuenci solum subscribitur. In omnibus fere codicibus *presbyter* nominatur. Presbyteri munere eum esse functum etiam ex Hieronymi locis supra citatis apparet. Ab Alcuino *presbyter et scholasticus* vocatur. Scholasticus olim dicebatur is, qui in forensi exercitatione versatus erat. Iure negat Arevalus Iuencum eo sensu ab Alcuino vocari scholasticum <sup>3)</sup>. Vox h. l. idem valet atque homo eruditus.

Quo tempore Iuencus Evangeliorum libros composuerit, apparet e Chronici loco supra adlato. Quibuscum verbis conferas finem carminis (IV 806 sqq.):

*Haec mihi pax Christi tribuit, pax haec mihi saeculi,  
Quam fovet indulgens terrae regnator apertae  
Constantinus, adest cui gratia digna merenti.*

V. d. Marold contendit <sup>4)</sup> Constantinum anno 329 nondum fuisse *terrae regnatorem apertae*, quo titulo eum anno demum 332 bello cum Gothonibus confecto iure vocari potuisse itaque Hieronymum erravisse. V. d. Nestler iure censet <sup>5)</sup> Iuencum in fine carminis Constantinum ob benevolentiam ab eo erga Christianos collatam laudibus efferre voluisse; fieri potuisse, ut verba eius non ex omni parte cum veritate congruerent; tale quid in scriptis, in quibus laudes alicuius celebrentur, saepe inveniri.

Quo consilio poeta carmen suum scripserit ipse in praefatione (15 sqq.) hoc modo dixit:

*Quod si tam longam meruerunt carmina famam,  
Quae veterum gestis hominum mendacia nectunt,  
Nobis certa fides aeternae in saecula laudis  
Inmortale decus tribuet meritumque rependet.  
Nam mihi carmen erit Christi vitalia gesta <sup>6)</sup>,*

<sup>1)</sup> de eorum testimoniis vide Huemer, edit. prolegg. p. VI—VIII.

<sup>2)</sup> cf. Maroldi editionem p. IV sqq.; Huemeri edit. p. V, adn. 1.

<sup>3)</sup> Migne, P. L. XIX col. 21.

<sup>4)</sup> Zeitschrift für Wissenschaftliche Theologie XXXIII, p. 329.

<sup>5)</sup> Studien über die Messiade des Iuencus, Passau, 1910, p. 69, adn. 137.

<sup>6)</sup> Christi vitalia gesta = Christi vita. Vide ad praef. 19.

*Divinum populis falsi sine crimine donum.  
Nec metus, ut mundi rapiant incendia secum  
Hoc opus; hoc etenim forsitan me subtrahet igni  
Tunc, cum flammivoma discendet nube coruscans  
Iudex, altithroni genitoris gloria, Christus.*

Sperat igitur se aeternam in saecula laudem esse adepturum, non autem per ingenium suum, sed per fidem et per argumenti naturam. Deinde sperat fore ut hoc carmine caelum sibi mereat <sup>1)</sup>. Sed quam ob rem putavit opus suum tali praemio esse dignum? Romanis litteratis genus dicendi Sacrae Scripturae nimis incultum esse videbatur. Ipse Augustinus narrat Sacram Scripturam, cum primum eam legeret, sibi non placuisse, *sed visa est, inquit, mihi indigna, quam Tullianae dignitati compararem* <sup>2)</sup>. Quam ob rem Iuvenus Evangelii altitudini dignam formam dare voluit, ut Christianos litteratos tam forma quam argumentum delectaret, cf. IV 802 sqq.:

*Has mea mens fidei vires sanctique timoris  
Cepit et in tantum lucet mihi gratia Christi,  
Versibus ut nostris divinae gloria legis  
Ornamenta libens caperet terrestria linguae.*

Tam alto argumento versus heroicus ei aptissimus esse videbatur.

Praeterea Iuvenus, id quod fecit postea Sedulius <sup>3)</sup>, ea quoque mente carmen scripsit, ut alios ad fidem Christianam converteret. V. d. Marold demonstrat <sup>4)</sup> Iuvenum eam ob causam nonnulla in carmine aliter dixisse atque in textu sacro invenerit, ut carmen Romanis magis placeret. Poetam e. gr. versu I 71 (= Luc. I 32) vocem *populis* addidisse <sup>5)</sup>, versuque I 100 (= Luc. I 48) *γενεαι* (*generationes*) reddidisse per *cunctae gentes*. Dicit Iuvenum initio carminis Matthaei genealogiam

<sup>1)</sup> eandem cogitationem invenimus apud Prudentium Dracontium alios, cf. I. R. Herrera, Poeta Christianus, Speyer, 1936, p. 26.

<sup>2)</sup> Confess. III 5.

<sup>3)</sup> Ep. 1 ad Mac., p. 3: ... *culpa me scilicet arbitratus silentii non carere, si studiosae mentis officium, quod vanitati detulissem, veritati denegarem.*

<sup>4)</sup> l. l. p. 331.

<sup>5)</sup> vide commentarium ad locum.

(Matth. I 2—17) èt eam ob causam <sup>1)</sup> èt quod eam propter tot nomina propria versibus reddere difficile esset omisisse <sup>2)</sup>. Addam e. gr. locum II 119 sq., ubi Iuvenus Nathanaelis verba (Ioh. I 50): *ῥαββί, σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, σὺ βασιλεὺς εἶ τοῦ Ἰσραήλ* hoc modo reddit:

*Progenies veneranda Dei, rex inclite gentis,  
Tu populis manifesta salus vitaeque magister.*

Non apparet, id quod plerique putant, Iuvenum carmen suum epicum in locum Vergilii Aeneidos et ceterorum classicorum poetarum operum substituere voluisse. Dicit enim ipse de Homeri Vergiliique gloria (Pr. 12):

*Quae manet aeternae similis, dum saecula volabunt.*

De ceteris quae Hieronymus memorat Iuveni operibus nihil nobis traditum est <sup>3)</sup>. In codicibus duobus Corbeiensibus etiam paraphrasis librorum quorundam Testamenti Veteris, cui est titulus Heptateuchos, Iuveno adscribitur. In ceteris codicibus Cyprianus operis scriptor esse dicitur. Fuerunt, qui putarent, quod attinet ad vocabularium et syntaxin, similitudinem quandam esse inter Evangeliorum libros et Heptateuchum (praesertim librum in Genesin). Quam ob rem libri in Genesin saltem Iuvenum scriptorem esse rati sunt. Diligentius autem perlegenti apparet Heptateuchum, quod attinet ad genus dicendi et ad prosodiam, Iuveni opere esse multo inferiorem. V. d. R. Peiper in editionis suae Heptateuchi prooemio <sup>4)</sup> demonstravit opus esse tribuendum Cypriano cuidam, qui initio quinti saeculi p. Chr. n. in Gallia vixit.

Codices nos docent Iuveni operis titulum fuisse: *Liber Evangeliorum* vel *Libri Evangeliorum IV* <sup>5)</sup>. Titulus *Historia*

<sup>1)</sup> l. l. p. 331: „Die Genealogie stellte in zu ostentativer Weise den Heiland als zum jüdischen Volke gehörig dar, ein Römer aber, der seiner Nation ihn als Stifter der christlichen Religion darstellen, und sie für ihn begeistern wollte, hätte sie vielmehr dadurch sogleich zurückgestossen.

<sup>2)</sup> Secundam ob causam poeta e. gr. etiam loco II 430 sqq. (Matth. X 2, 3) apostolorum nomina omisit.

<sup>3)</sup> Huemer, p. VI, adn. 2 negat Hieronymum de iis operibus vera dixisse.

<sup>4)</sup> Cypriani Galli poetae Heptateuchos (Corpus script. eccl. lat., vol. XXIII), Vindobonae, 1891, p. XXIII.

<sup>5)</sup> cf. Maroldi edit. p. VI; Huemeri edit. p. V, adn. 1.

*Evangelica* non antiquus neque manuscriptis nititur, sed fortasse Aldus primus fuit, qui eum in sua editione (1504) usurpavit.

Poeta in carmine faciendo praesertim Matthaei Evangelium secutus est. Ex eo Evangelio nihil fere omisit; Matthaeum narrationibus e ceteris Evangelis electis supplevit.

E codicibus <sup>1)</sup> apparet poetam opus suum in quattuor libros divisisse, id quod Hieronymi locus supra laudatus testatur. Quod fortasse quattuor Evangelistarum honori fecit, cum cuiusque eorum Evangelio usus sit. Ita etiam Hieronymum intellexisse v. d. Nestler <sup>2)</sup> propter vocem *quattuor* repetitam arbitratur (*quattuor Evangelia ... transferens quattuor libros composuit*).

Finis primi libri cum Matth. VIII 15 convenit, secundi libri finis cum Matth. XIII 36, tertii libri finis cum Matth. XXII 13. Divisio minus apta est. Videtur poeta id tantum studuisse, ut singulis libris aequum fere numerum versuum daret ( $\pm 800$ ) <sup>3)</sup>. Ut exemplum afferam: in fine libri secundi parabolam de tritico et zizania narrat, cuius parabolae explicationem tertii demum libri initio reddit. V. d. Marold veri simile esse putat <sup>4)</sup> Iuvenicum Italae codice aliquo esse usum cuius textus, ut codicum ff<sup>2</sup>, h, g<sup>1</sup>, in 74 capita divisus esset, Iuvenici librum primum 20, secundum 20, tertium 22, quartum 12 capita continuisse.

V. d. Nestler Maroldi rationem non apte cohaerere demonstrat <sup>5)</sup>, cum quarti tantum libri initium cum capitis (63) initio conveniat.

Initio carminis poeta Lucam secutus agit de Gabrielis nuntio ad Zachariam et ad Mariam allato et de Iohanne nato (1—132 = Lc. I 5—80). Secundum Matthaeum, Iosephi somnium narrat (133—143 = Matth. I 19, 20, 24); secundum Lucam censem, quomodo Christus natus sit, Mariae purificationem (144—223 = Lc. II 1—39). Deinde, si narrationem de Iesu puero in

<sup>1)</sup> cf. Maroldi edit. p. VI; Huemeri edit. p. V, adn. 1.

<sup>2)</sup> l.l. p. 47.

<sup>3)</sup> cf. Th. Birt, Das antike Buchwesen in seinem Verhältniss zur Literatur, Berlin, 1882, p. 138: „Iuvenicus (leidet) ... sichtlich unter dem Zwang der Buchtheilung.“

<sup>4)</sup> l.l. p. 330.

<sup>5)</sup> p. 48.

templo versante agentem excipimus (278—306 = Lc. II 40—51), usque ad libri primi finem materiam e Matthaei evangelio sumit. In libro secundo ei Gerasenorum daemoniacum sanatum describenti Marcus dux est (43—74 = Marc. V 1—17). Postquam Matthaeum a Christo vocatum rettulit (95—98 = Matth. IX 9), Iohannem sequens narrat Philippum et Nathanaelem vocatos (99—126 = Ioh. I 43—51), Canae ex aqua vinum factum, templi purgationem (127—176 = Ioh. II 1—23), colloquium nocturnum cum Nicodemo habitum (177—242 = Ioh. III 1—21), deinde quae legimus Ioh. IV 3—53 (243—346). Ab hoc loco usque ad libri finem Matthaeum sequitur exceptis versibus 637—691, quorum fons est Evangelium Iohannis (V 19—46). In libro tertio Matthaei Evangelium ei solum exemplum est. In libro quarto Lazari tantum resurrectionem (306—402 = Ioh. XI 1—46) Matthaei narrationi inseruit <sup>1)</sup>.

Praeterea Iuvenus, etiam si Matthaeum sequitur, nonnumquam pauca e ceteris Evangeliiis supplet, e. gr. I 364 sq.:

*Tum petit umbrosos montes et lustra ferarum  
Obsequiumque illi patrii praebere ministri  
Certabant rapidi . . .*

Nam Marcus solus dicit I 13: *καὶ ἦν μετὰ τῶν θηρίων, καὶ οἱ ἄγγελοι διηκόνουν αὐτῷ* <sup>2)</sup>). Potuitne fieri ut Iuvenus carmen suum componeret auxilio „harmoniae” quae dicitur „Evangeliorum”?

Tatiani solus liber cui titulus „Diatessaron” nobis est spectandus. Nam de aliis eius aetatis harmoniis Graecis aut Latinis nihil traditum est. Initio sane usque ad Iuvenum I 408 (Matth. IV 11) Iuveni carmen et Tatiani opus, quod ad compositionem attinet, aliquantum inter se congruunt. Uterque enim initium facit a Luc. I 5—80 cui initio Tatianus sane prooemium (Ioh. I 1—5) praemittit. Deinde uterque Iosephi somnium narrat (Matth. I 18—25). Sequitur apud utrumque Luc. II 1—38, deinde Matth. II 1—23; deinde apud Iuvenum Luc. II 40—III 6, apud Tatianum teste versione Arabica <sup>3)</sup> Luc. II 40—III 6,

<sup>1)</sup> pleniorem conspectum dedit v. d. H. Widmann, De Gaio Vettio Aquilino Iuenco, Breslau, 1905, p. 24 sqq.

<sup>2)</sup> Plura exempla affert v. d. Widmann, p. 15—23.

<sup>3)</sup> A. S. Marmardji, Diatessaron de Tatiën, Beyrouth, 1935.

Ioh. I 7—28, Matth. III 4—10, Luc. III 10—18, sed teste Ephraemi in Diatessaron commentario <sup>1)</sup> Ioh. I 6—28, Luc. II 41—52, Matth. III 1—12 (et Luc. III 1—18); tum apud Iuven- cum Matth. III 4—17, apud Tatianum Matth. III 13—17; deinde apud Iuvenum Matth. IV 1—8, 27, apud Tatianum Matth. IV 1—11.

Inde ab hoc loco autem longe differunt. Talis igitur similitudo argumento esse nequit Iuvenum Tatiani harmonia esse usum, praesertim cum ordo quo uterque utitur, ubi inter se congruunt, aptissimus sit.

Praeterea non constat Iuvenco Tatiani opus notum fuisse. Quamquam enim in veteribus Evangeliorum Latinis versionibus multa vestigia insunt veteris Latinae Tatiani operis versionis, tamen Evangelia separata in Occidente <sup>2)</sup> mox in locum Harmoniae successisse videntur. Quo factum est, ut etiam memoria Harmoniae Latinae evanesceret <sup>3)</sup>.

Neque tamen prorsus negare velim, id quod facit v. d. Nestler <sup>4)</sup>, fieri potuisse, ut Iuvenco aut Harmonia illa Graeca <sup>5)</sup> aut eius Latina versio nota esset.

Quidquid id est, constat Iuvenum in maiore carminis parte minime cum Tatiani Harmonia convenire. Verisimile igitur est eum materiae ordinem ipsum composuisse.

Plerumque Iuvenus versione Latina ante-Hieronymica usus est. Permultis enim locis poeta eadem vocabula adhibet, quae in Italiae versionibus leguntur, quamvis non semper aptissima sint <sup>6)</sup>.

Nonnumquam autem textum Graecum inspexit, cuius rei primus

<sup>1)</sup> cf. Th. Zahn, Forschungen zur Geschichte des Neutestamentlichen Kanons, I, p. 115 sqq.

<sup>2)</sup> In Oriente usque ad quintum saeculum Harmonia in magno usu fuit.

<sup>3)</sup> H. J. Vogels, Beiträge zur Geschichte des Diatessaron im Abendland, Neutest. Abhandl. VIII, Münster, 1919, p. 1 sqq.; D. Plooy, A fragment of Tatian's Diatessaron in Greek, The Expository Times 1934/35, p. 473.

<sup>4)</sup> p. 36 sqq.

<sup>5)</sup> Postquam fragmentum Graecum in loco cui nomen Dura-Europos inventum est (1933), plerique viri docti Harmoniam a Tatiano primum lingua Graeca, non Syriaca esse scriptam arbitrantur, cf. C. H. Kealing, A Greek fragment of Tatian's Diatessaron from Dura, London, 1935.

<sup>6)</sup> cf. e. gr. I 552, 612, 627, ad quos locos vide commentarium.